



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vita[m] protrahere in peccatis quàm sit turpè & periculosum: quàm sit e
diuerso honorificu[m] sese à peccatis conuertere ad Deum. Can. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

videntur, & quæcunque euadere non potes, faciam modo bene velis, vt absque peccato nec sine merito ad probationem non ad damnationem feras.

Vitam protrahere in peccatis quam sit turpe & periculosum: quam sit ediuerso honorificum sese à peccatis conuertere ad Deum.

CANON. II.

Vide autem o anima, quam turpe sit in peccatis volutari. Vide quam deformis in obscœnis delectari, quam ignominiosum dæmonibus seruire, quam destructiuum naturæ contra, aut præter naturam viuere. Vide præterea, si non redieris ad me, quam tristem habebis exitum, quam calamitosum finem, quam desperatam mortem, quam terribile super te erit iudicium meum, quam horribilis sententia à me progrediens in infernum, vnde nunquam ex eas, te prosternet. Aduerte quam certa mors quam breuis vita, quam breuis delectatio peccati, quam sordidum denique ipsum peccatum, ad extremum quam inhonestum sit coram hominibus quoque, malam vitam agere, quamque miserabile infelicissimam expectare mortem. Vide ediuerso, quam honestum sit bene viuere, quam iucundum tranquillam ac bonam conscientiam habere, quam gloriosum mihi seruire, quam pulchrum virtutibus ornari, quam decorum sanctimonia niti, quam honorabile castitatem seruare. Aduerte deinde quod labor ipse quo mihi seruitur, breuis sit, tempus seruiendi exiguum, præcepta non graua, quod auxilium copiosum, idque tibi à me semper paratum: perpende quod interna vnctio dulcoris mihi seruientibus, quod suauitas, quod gaudium bonæ conscientia à me semper infunditur. Vide quæ consolatio bonam mentem comitetur, quantum ve spes de misericordia mea, de gratia, de amicitia, cuius tibi nunc arras ac gustu præbere cupio, mihi seruire confortet; quomodo hunc charitas, vt semper progrediatur, inflammans impellat: Deinde quam lætus veniat ad mortem, quam securus meam expectet promissionem, quam misericorditer à me in morte recipiatur, quam lætus egrediatur, quam feliciter coronetur, quam perpetua denique sit ac interminabilis infinitaque gaudij eius mensura, qui mihi seruit.

Peccata quænam sequantur calamitates: virtutum sectatoribus quanta in coelis reposita sint præmia: quænam reuertenti animæ ad Deum relinquenda sit.

CANON III.

Ofilia interroga omnes qui in inferno modo sunt, animas, quid profuit modo eis luxuria, ambitio, vanitas, delicia, diuitia, quid conferat iam proximum oppressio ac persecutio, quid fraudes, iniuria, inuidia, & cætera id genus arma diaboli, quibus hosti pessimo seruiuerunt. Nihil profecto. Omnes clamabunt, maledicent diei & horæ quibus mihi fuerunt inobedientes. Maledicent sibi ipsis, quod gratia meæ tempus neglexerunt, quod denique amiserunt opportunitatem.

Merces peccatorum cuiusmodi sit. Damnatam calamitatem.